



HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY



# Jahresbericht

über die

# Fürsten- und Landesschule Meissen

**vom Juli 1875 bis Juli 1876,**

womit zugleich

## zur Feier des Stiftungstages

**den 7. Juli**

ergebenst einladet

**Dr. Hermann Peter,**

Rector und erster Professor.

---

*Voran geht eine Abhandlung des Oberlehrer Dr. C. Fleischer:*

**Observationes criticae de bello Hispaniensi.**


---

**Meissen,**

gedruckt bei C. E. Klinkicht & Sohn.

1876.

1876. Progr. Nr. 432.


HARVARD COLLEGE
NOV 23 1899
LIBRARY.

# PRAEMONITA.

De sermone incerti scriptoris belli Hispaniensis quantopere inter se discrepent sententiae virorum in linguae latinae scientia praeclarorum, nescio an dilucidius appareat, quam collatis inter se iudiciis, quae Ios. Scaliger et Madvigius de eo fecerunt. Etenim cum ille in prolegomenis in Manilii astronomica haec scripsisset: ‚Idem dicas de Livio: cuius dictio ornatior, quam latinior illi critico videbatur, qui Patavinitatem in eo animadvertebat et quidem fortasse iustius, quam illi, qui militem, qui scripsit diarium belli Hispanici, barbarum vocant, cum tamen eo scripto nihil latinius concipi possit. Sed horride loqui ullum militem, quem horridum vocant poetae, non tam mirum videri debet, quam putare, ideo barbare loqui, quod incondite‘, hic in adv. crit. II, 289 ita iudicat: ‚Belli Hispaniensis librum ab infimi loci homine et nihil de rebus gestis nisi particulas quasdam tenente scriptum confuse et sermone usque ad barbariem rustico, tum a librariis ita incredibiliter corruptum, ut nihil fere in antiquis litteris simile sit, paucissimis attigi, cum neque dignum, in quo tempus tererem, iudicarem neque multum me profecturum sperarem.‘ Quem alter barbari esse sermonem prorsus negat, alter fere barbari esse obtinet. At etiamsi quicunque vel obiter tantum hunc librum perlegit, non potest non concedere, eum esse compositum ab homine non solum in scribendo, sed etiam in cogitando tirone et sermonis elegantiae plane experti, tamen non cedo argumentis, quibus Madvigius nisus eum vix dignum iudicat, qui accuratius tractetur et arte critica adhibita in pristinum statum revocetur. Etenim tanti mea interesse confiteor cognoscere, quibus verborum formis et constructionibus, quibus locutionibus, quibus continuandi sermonis auxiliis, quibus denique loquendi facultatibus usus sit homo infimo loco natus, quanti intelligere, quemadmodum magnas res gestas, quibus ipse intererat et quas unus ex scriptoribus Latinis copiosius enarravit, animo exceperit, comprehenderit, reddiderit. Sed ut hoc alterum missum faciam, nolo silentio praeterire Nipperdeii sententiam, quam Pr. 25 his verbis refert: Sed ut ad bellum Hispaniense revertamur,

longe plurima in oratione hic liber habet peculiaria, valde quidem illa memorabilia. Ideo Nipperdeius in praefatione haud pauca collegit sermoni B. H. peculiaria neque tamen materiem ita exhausit, ut omnia, quae memoratu digna videntur, afferret. Itaque mihi in animo erat, hoc libello sermonem scriptoris B. H. accurate persequi atque praecipue ea, quae comparatis aliis cotidiani sermonis scriptoribus huic tribuenda esse viderentur, colligere et componere. Sed obstabant cum ipse sermo, tum deterrima codicum conditio, quominus quaestio prospere procederet. Saepissime enim haerebam, utrum, quae legissem, omnino ab homine latine loquente ita possent esse scripta, an verba a solita dicendi ratione longe discedentia librariorum deberentur neglegentiae et inscientiae. Et cum quam plurimis locis paribus aut certe similibus ex ipso libro congestis collatisque intellexissem, nonnulla esse emendandi praesidia, non tam ex libris manuscriptis, quam ex ipsius scriptoris sermone quaerenda, quae ab editoribus aliisque, qui huic libro restituendo operam impertivissent, non satis essent perspecta et adhibita, meque in emendandis scriptoris verbis aliquid profecisse sperarem, mutato consilio edere constitui, quas pravae scripturae medelas invenisse mihi viderer. Accedebat, ut ipsius scriptoris sermone duce, quae a Nipperdeio, Kranero, Kochio, aliis in dubitationem vocata essent, sic a scriptore esse profecta haud raro mihi persuaderem. Ita vero factum est, ut plus semel ultra fines commentationis criticae egressus complura attingerem, quae spectarent in universum ad dicendi rationem, quae invenitur in B. H., quam libertatem pristini mei instituti memor ne graviter feras, peto quaesoque. Permultis, quas Nipperdeius, Kraner, Madvigius notaverunt interpolationibus per totum librum occurrentibus nonnullas adieci. Novis emendandi praesidiis ex ipsis libris manuscriptis haustis, id quod doleo, non sum adiutus.

I, 5. Extr. cap. I. haec leguntur in libris manuscr.: Hoc crebris nuntiis in Italiam missis civitates contrariae Pompeio auxilia sibi depostulabant. Non liquet, cur Nipperdeius crebris mutaverit in crebrius, et Kraner hanc mutationem probaverit. Quidni codicum auctoritatem sequamur, cum nec in iis, quae praecedunt, scriptor dicat, ante hoc tempus unquam nuntios missos esse in Italiam, et nuntius et eiusmodi vocabula persaepe reperiantur cum illo adiectivo coniuncta, cfr. Caes. d. b. g. 5, 45 *crebriores* litterae nuntiique, ibid. 8, 19 *crebrique* eodem tempore et nostris et hostibus nuntii afferuntur, Cic. fam. 8, 1 quod ad Caesarem: *crebri* et non belli de eo rumores, ibid. 16, 5, 1 [litteras] *crebras.* Nep. Milt. 3, 3 hic cum *crebri* afferrent nuntii. Illud ob, quod veteres interpretes ante hoc inscii vulgaris usus ablativi pronominis pro ideo vel propterea adhibiti inserendum statuerant, iure extrusit Nipperdeius, quade cfr. Plaut. Pseud. 2, 3, 19, ibid. 3, 2, 33, Hor. Sat. 1, 1, 45, ibid. 3, 93, ibid. 6, 52, Apul. Ascl. VI initio.

II, 1. Initium capitis alterius ita in optimis libris exhibetur: C. Caesar dictator tertio, designatus dictator quarto multis iterante diebus coniectis cum ceteris festinationem bellum conficiendum in Hispaniam cum venisset etc. Pro designatus dictator unus deteriorum codicum habet designatus consul quarto, unde Nipperdeius scribendum censuit consul designatus quarto, postquam iam ante eum Oudendorpius suspicatus est, fuisse C. Caesar dictator III, designatus consul sive cos. IV, aut Cos. Caesar designatus IV, dictator III. Caetera verba foede depravata nec Nipperdeius nec Kraner, ut Schneideri ultra fidem, puto, corruptelarum patientis conatus silentio praeteream, coniectura tentarunt, quamquam non multum abest, quin lectio vulgata veteresque ante Nipperdeium editiones corruptelas sustulerint. Ibi enim legis: multis itineribus ante confectis quum celeri festinatione ad bellum conficiendum in Hispaniam venisset, Oudendorpio conante multis in urbe ante rebus confectis aut iter ante. Illud celeri festinatione feliciter erutum est ex 38, 6 pari autem et *celeri festinatione* circum munitiones iugo dirigunt; movendi autem verba hunc in modum cum praepositione ad sequente gerundio sive gerundivo coniuncta réperis 4, 3. 9, 1. 13, 3. 15, 1. 25, 4. 25, 7. 26, 7. 29, 3. 29, 6. 40, 1. 40, 5. Quae cum ita sint, non dubito alterum enuntiati dimidium cum veteribus editoribus scribere servata praepositione ‚cum‘ quae est in codicibus ante celeri festinatione: cum *celeri festinatione ad* bellum *conficiendum* in Hispaniam cum venisset[1]). Alterum vero cum si deleverunt editores, erraverunt;

1) Ne quis dubitet de iteratione vocabuli cum, conferat 5, 3. Huc *cum* Pompeius *cum* suis copiis venisset. 40, 6 Didius magna *cum* virtute [Kraner pugnans] *cum* compluribus interficitur.

vide enim, plus semel cum particulam in fine enuntiati cum verbo, quod claudat enuntiatum, tamquam in unum coaluissent, a scriptore esse coniunctam. Ita legis 3, 2 Quo ex oppido cognito Caesaris adventu legati clam praesidia Cn. Pompei Caesarem *cum adissent,* 3, 7 Mediisque eorum praesidiis *cum essent,* 4, 3 Appropinquantibus ex oppido bene magna multitudo ad equitatum concidendum cum exissent, 27, 5 insequenti tempore Ventiponem oppidum *cum oppugnare coepisset,* 27, 6. 29, 8. 35, 1. 37, 2. Alterum enuntiati dimidium Kochius rhein. Mus. XVII, 477 sic scripsit multis itineribus nocte dieque confectis etc. comparans 38, 1 diem et noctem iter faciunt. Ut concedam, non posse offendere apud scriptorem B. H. repetitionem eiusdem sententiae, quae inest in verbis multis itineribus nocte dieque confectis atque cum celeri festinatione etc., displicet tamen multis vocabulum, quippequod desideremus magnis, quoniam non intererat Caesaris multa itinera facere, sed magna, ut quam celerrime in Hispaniam perveniret. Aliter sese res habet initio belli Africani, ubi legimus Caesar itineribus iustis confectis nullo die intermisso a. d. XIIII. Kal. Jan. Lilybaeum pervenit, quo loco adductus Kochius, nisi fallor, hunc locum restituendum censuit. Accedit autem, quod Kochi coniectura ab litteris vocabulisque, quae libris sunt tradita, procul decedit. Quodsi ea comparamus, quae alii scriptores narrant de negotiis, quibus Caesar illo tempore occupatus erat, nos non fugiet, ubique eum laudibus efferri, quot negotia quamque brevi tempore ante profectionem in Hispaniam gesserit. [vide Plut. Caes. 55, Dio XLIII inde a cap. 15 usque ad 28]. Itaque velim scribas cum Oudendorpio, sed mutato duorum verborum ordine multis ante iter rebus confectis. Prorsus enim nego, ferri posse apud scriptorem B. H. praepositionem ante post praecedens substantivum positam, quam voluit Oudendorpius scribens iter ante, quae leguntur in libris, pro ante iter, quoniam hoc in libro praepositiones, quae apud alios scriptores hic illic pronomen relativum et demonstrativum vel substantivum sequi solent, substantivum vel pronomen ubique praecedunt. Quin etiam inter, quod Caesar nonnunquam facit substantivum vel pronomen excipiens[1]), non nisi antecedit [cfr. 23, 8 inter quos 5, 4. 7, 1. 8, 5. 23, 8. 25, 6. 36, 4]. Transponendorum autem verborum remedio nos iure uti in bello Hispaniensi emendando, insigni documento sunt, quae Nipperdeius Pr. 231 disputavit. Extremum est, ut disseram non solum de miro illo verborum ordine multis ante iter rebus confectis, sed etiam de verbo ‚conficiendi‘ bis in eodem enuntiato scripto. Iam ab aliis animadversum est, esse et Hirtii et scriptoris B. A., substantiva ab adiectivis vel genetivis ad illa pertinentibus arteque cum iis cohaerentibus et similia nonnullis verbis interpositis seiungere[2]). Hoc etiam scriptoris B. H. proprium esse, ex his exemplis apparebit: 2, 2 *tabellariis,* qui a Cn. Pompeio *dispositi* omnibus locis *essent.* 3, 3 *pari* equites *numero.* 5, 1 *lapidibus* corbes *plenos.* 5, 3 *pari* idem *condicione* Pompeius. 16, 3 nocte tota *ultra* stabat [cum Kochio l. s. 479] flumen *Salsum* in acie. 23, 2 *complures* ex superiore loco *adversariorum.* 24, 2 *castello* se excludi *Aspavia.* 32, 5 *ad navale praesidium* parte altera *Carteiam* contendit. Ac ne quis haereat in rebus confectis ... ad bellum conficiendum, vide ex his, quae sequentur exemplis, quantopere apud scriptorem B. H. desideremus verborum varietatem. 5, 4 et 5 Hic inter duces duos fit *contentio,* uter prius pontem occuparet; ex qua *contentione* coti-

---

1) cfr. B. G. 6, 36 quas (segetes) inter et castra. 7, 33 et quos inter controversia esset. B. C. 3, 6 saxa inter et alia loca.

2) cfr. Vielhaber, Zeitschr. f. östr. Gymn. 1869, 548. Fröhlich, das bellum africum, Brugg. 1872, 25.

diana minuta proelia fiebant ... Quae res cum ad maiorem *contentionem* venisset. 8, 6 Nam cum inter Ateguam et Ucubim ... Pompeius habuit *castra constituta* ... ab suis *castris* ... grumus est excellens natura ... ibi praesidii causa castellum Caesar *habuit constitutum.* 9, 1 *Quod* Pompeius, *quod* eodem iugo tegebatur *loci* natura, et remotum erat a castris Caesaris, animadvertebat *loci difficultatem* et, quia flumine Salso intercludebatur, non esse *commissurum* Caesarem, ut in tanta *loci difficultate* ad subsidium *mittendum* se *committeret* (cum Nipperdeio). 25, 4 Q. Pompeius Niger, eques Romanus Italicensis ex acie nostra ad *congrediendum progressus* est. Haec sufficiant exempla ex magna eiusmodi locorum copia per totum librum electa. Dominante enim constructionum vocabulorumque inopia omnis iacet dicendi elegantia, longeque scriptor B. H. eiusmodi verborum repetitionibus superat Hirtium atque B. A. scriptorem, quos eodem vitio ex parte laborare monuerunt Nipperdeius[1]) et Froehlichius[2]). Haeret in vocabulo semel usurpato, proinde quasi aliud omnino nesciat, cfr. 2, 1 et 2 venire bis repetitum. 2, 2 et 3. certiorem facere bis repetitum. 3, 2 et 3 et 4 et 5 quinque enuntiata a pronomine relativo incipiunt. 3, 2 quo ex oppido, 3, 3 quibus ... praefecit, 3, 4. Qui cum ... venisset, 3, 5 cuius incommodum ... praebebat, 3, 5 quae vis tempestatis ita obscurabat, 3, 1 et 4 et 7 idem temporis. 4, 1 Hoc misso ad Uliam praesidio. 4, 3 Hoc a Cordubensibus etc. 4, 4 Hoc timore adductus. 5, 3 Huc cum Pompeius. 5, 4 Hic inter duces fit contentio. 5, 6 Hic alternis etc. 30, 3 Quod cum a Caesare esset animadversum. 30, 4 Quod cum hominum auribus esset obiectum. 6, 1 et 2 duo enuntiata deinceps incipiunt a vocabulis id cum: id cum animadverteret ... id cum Pompeius ex perfugis rescisset. Quibus expositis totum locum sic esse scribendum puto C. Caesar dictator tertio, *consul* designatus quarto multis *ante iter rebus confectis* cum *celeri festinatione ad* bellum conficiendum in Hispaniam cum venisset etc.

II, 3. Quibus rebus adductus, quos legatos ante exercitui praefecerat, Q. Pedium et Q. Fabium de suo adventu facit certiores utque sibi equitatus, qui ex provincia fuisset, praesidio esset. Kochius l. s. 477 illud qui ... fuisset non ferendum iudicans ante fuisset intercidisse docet coactus, non recte, puto. Primum enim simplex verbum esse cum ex praepositione coniunctum atque ita adhibitum, ut originem alicuius vel hominis vel exercitus significet, plus semel hoc in libro extat [cfr. 7, 4 quarta (sc. legio) *fuit* Afraniana *ex Africa;* ad similitudinem huius loci accedunt 31, 9 itemque equites Romani (sc. ceciderunt) partim *ex urbe,* partim ex provincia. et 1, 4 cum aliquis *ex ea civitate* optime meritus civis *esset.*] Plusquamperfecti autem coniunctivum in enuntiatis relativis usurpatum loco indicativi imperfecti hoc in libro tam saepe legi, ut prope taedium afferat, quoniam Nipperdeius iam l. s. p. 25 multis exemplis collatis ostendit, haud abs re videtur, de hoc enuntiatorum relativorum usu, qui sit apud scriptorem B. H., ab sermone elegantiorum scriptorum abhorrente paulo accuratius subtiliusque disserere. Saepius esse factum, ut vel scriptores, qui elegantiam sermonis coluissent, pro indicativo imperfecti ponerent indicativum plusquamperfecti, Schneider in Wachleri philom. I, 135 et Nipperdeius Pr. 20 exemplis ex Caesaris Hirtiique libris collectis comprobavere. Idem Nipperdeius ex scriptore vulgaris sermonis, ex Vitruvio exempla congessit l. s. 21; neque deest haec dicendi consuetudo Sallustio, qua de re vide Kritzium, bell. Iug. 39, 3. Saepius legitur in bello Africano [Nipp. Pr. 20]; huius autem

1) Pr. 13, 23. 2) l. s. 53.

libri scriptor iam eo progressus est, ut bis uteretur sine iusta caussa coniunctivo in enuntiato relativo. 35 init. Scipio *quique* cum eo *essent* et 77, 1 Thabanenses interim, *qui* sub dicione et potestate Iubae esse *consuessent,* legatos ad Caesarem mittunt. Qui coniunctivus est usitatissimus in bello Hispaniensi et multo est indicativo frequentior. Etenim indicativus plusquamperfecti pro indicativo imperfecti quinque tantum locis extat 13, 8. 14, 2. 13, 8. 16, 2. 40, 6, coniunctivus autem pro indicativo plus vicies. Exempla autem in duos ordines distributa haec sunt:

a) Coniunct. plusq. pro indic. plusq. 1, 1 *qui* ex his proelis . . . *profugissent* propter miseram verborum condicionem dubium est. 2. 1 [cum] legatique Cordubenses, *qui* a Cneio Pompejo *discessissent,* Caesari obviam venissent. 11, 2 Eodem die Q. Marcius, tribunus militum *qui fuisset* Pompei, ad nos transfugit. 22, 6. 27, 6. 32, 1. 32, 6. 33, 5. 35, 2 et 3. 37, 1. 38, 1. Unde sequitur, ut 37, 3 quarto die navigationis, *quod* imparati *a Carteia profecti sine aqua fuissent,* ad terram applicant, non opus sit quod particulam causalem mutare in quom [Nipp. Pr. 25], licet aliis locis sequatur indicativus [cf. 3, 1. 9, 1. 31, 4. Soloece accusativus c. infinitivo legitur 22, 7], quae constructio quin ad similitudinem enuntiatorum, qui modo indicativum, modo coniunctivum promiscue et sine discrimine exhibeant, ab scriptore sit facta, non dubito. [cfr. 10, 2. suo loco praeteritum est, *quod* equites ex Italia ... ad Caesarem *venissent*].

b) Coni. plusq. pro indic. imperf. 3, 8. existimant [ego cum opt. libr. manuscr., Nipp. et Kran. existimabant] prope magna pars hominum, *qui in castris fuissent,* se [prope] captos esse. 13, 2. Eo die Aulus Valgius, senatoris filius, *cuius frater in castris Pompei fuisset,* omnibus suis rebus relictis equum conscendit et fugit. 18, 4. 19, 1. 22, 2. 22, 3. 28, 2. 32, 3. 35, 2. 36, 3. 37, 2. Pertinet autem hic frequens coniunctivi usus etiam ad imperfectum. Namque exspectas indicativum imperfecti pro coniunctivi his locis: 13, 7 magna pars hominum, *qui in castris nostris essent* [3, 8 *fuissent*] non dubitarunt, quin eruptionem eo die essent facturi. 18, 6 *et qui vitam sibi peteret,* iussit turrem ligneam oppidanorum inscendere. 32, 7. 35, 3. 37, 1. — Uti supra exposuimus, indicativum plusquamperfecti pro imperfecti esse proprium scriptoris B. H., ita etiam coniunctivus plusq. semel et iterum locum coniunctivi imperf. obtinet non solum in enuntiatis relativis orationis obliquae, sed etiam in enuntiatis a particulá incipientibus. Ita legis 36, 4 coniurant inter se, ut noctu signo dato, *qui in oppido fuissent,* eruptionem facerent. 2, 3. Q. Pedium et Q. Fabium Maximum de suo adventu facit certiores utque sibi equitatus, *qui ex provincia fuisset,* praesidio esset. Videntur enim verba, qui ... fuisset esse Caesaris; aliter censet Nipperdeius Pr. 25. 39, 3. *Cum Caesar Gadibus fuisset,* Hispalim II. Id. April. caput allatum et populo datum est in conspectum.

III, 8 Nipperdeius et Kraner contra auctoritatem optimorum codicum duobus deterioribus nixi ita edunt: Sic in illo facto, cum inscientibus accidisset, *existimabant* prope magna pars hominum, qui in his castris fuissent, se prope captos esse. a, b, d, f habent existimant, neque est, cur hanc formam improbemus. Primum enim nihil frequentius est in hoc libro, quam praesens historicum, quod dicitur, neque varietas temporum unius enuntiati cancellis circumscriptorum offensioni esse potest, cum sexcenties occurrat. Deinde autem hoc quoque facile exemplis probatur, scriptorem B. H. vocabula, quibus sit copiae significatio, coniungere solere cum numero plurali verbi finiti. Primum igitur illud agitur, quibus locis inveniatur praesens historicum, quade confer 2, 3. 3, 3. 3, 6 (bis). 3, 7 (bis). 4, 2. 4, 5.

5, 3. 5, 4. 6, 1. 6, 3. 6, 5. 6, 6. Tunc per compluria capita non invenitur, sed inde a capite 22 rursus utitur scriptor 22, 6. 22, 7. 29, 7. 29, 8. 30, 6. 31, 3. 32, 3 (bis). 32, 6 (bis). 34, 5. 35, 1 (bis). 35, 3. 35, 4 (ter). 36, 2. 36, 3 (quater). 36, 4 (bis). 37, 2 (quater). 37, 3 (quater). 38, 2 (quater) etc. Sequitur, ut exemplis comprobem, nomina collectiva hoc in libro excipere verbi numerum pluralem. 3, 8 magna *pars* hominum ... non *dubitarunt.* 37, 1 *pars erat, qui* Pompeianarum partium *fautores essent.* 4, 3 bene magna *multitudo* ... cum *exissent.* 6, 4 partim ubi equitatus, partim ubi pedestris *copia* in statione ... esse *possent.* 25, 1 cum ad eundem locum eius *praesidium* venisset, pristino ... *utebantur* instituto. 27, 4 *praesidium,* ... iussit, ut *incenderent* et ... *se reciperent.* Priusquam autem hunc locum missum faciam, paucis liceat mihi attingere ad tuendam codicum scripturam consecutionem temporum in enuntiatis, quae praesens historicum exhibent. Exploratum est[1]), a Caesare hanc observari legem, ut post praecedens praesens historicum ponat in enuntiatis finalibus ac consequentiae praesens, tempus historicum autem non ponat, nisi intercedente enuntiato praeteriti temporis seiungatur enuntiatum pendens ab eo enuntiato, ex quo pendeat, aut nisi enuntiatio primaria sequatur enuntiatum ex primaria pendens. Aliter res sese habet hoc in libro. Nam si eiusmodi perlustraveris enuntiata, ubique invenies tempus historicum post praesens usurpatum. Nullum enim enuntiatum intercedit hisce locis. 5, 4 *fit* contentio, uter prius pontem *occuparet.* 6, 5 cum aliquot cohortibus et equitum turmis *circumcludunt* Caesaris equites et *concidunt,* sic ut vix in ea caede pauci *effugerent.* 32, 6 nuntium *mittit,* eum minus belle habere: ut *mitterent* lecticam, qua in oppidum deferri *posset.* 34, 4 Denique legatos ad Caesarem *mittunt,* ut sibi legiones subsidio *intromitteret.* 38, 6 muniliones iugo *dirigunt,* ut aequo pede cum adversariis congredi *possent.* Intercedit enuntiatum 32, 7 *conveniunt* in domum, quo erat delatus, ut ab eo, quae vellent, de bello *requirerent.* Eodem modo legitur tempus praeteritum post infinitivum historicum, quem dicunt 29, 5 Nostri *laetari,* nonnulli etiam *timere,* quod in eum locum res fortunaeque omnium *deducerentur* etc. 31, 6 at illi eximia virtute proelium facere, ut locus in aciem ad subsidium veniundi non *daretur.*

Restat, ut ad tuendum illud enuntiatum relativum 3, 8 qui in his castris fuissent, addam, quae de huiusmodi enuntiatis in perscrutando libro inveni; quemadmodum alii scriptores, sic semper utitur scriptor post praes. hist. tempore praeterito. Ne longus sim, pauca enumero. 32, 7 Qui illarum partium fautores *essent, conveniunt* in domum. 35, 3 in Lusitaniam *proficiscitur* et Caecilium Nigrum, hominem barbarum, ad Lennium convenit, qui bene magnam manum Lusitanorum *haberet.* 36, 3 ita erumpendo navis, quae ad Baetim flumen *fuissent, incendunt.* 36, 4 Mundensesque, qui ex proelio in oppidum *confugerant,* ... bene multi deditionem *faciunt.* 38, 1 equites et cohortes, quae ad persequendum *missae essent,* speculatoribus antemissis *certiores fiunt.* Praeterea Kraner 3, 8 prius prope, quod est ante magna pars, uncis seclusit, Mueller[2]) autem suspicatus est, fuisse bene. Legimus quidem 1, 2. 22, 6. 35, 2. 35, 3. 40, 2. bene magna manus, 4, 3 et 15, 6 bene magna multitudo, 12, 4 bene magnum tempus, 13, 4. 16, 2 bene magna pars, tamen hinc non sequitur, ut hic quoque scribendum sit bene. Iam altero prope a librario inepte ante captos esse repetito perspicuum fit, in antecedentibus

---

1) cfr. Procksch, die Consecutio temporum bei Caesar. Leipzig 1874, p. 12.
2) Müller, Krit. Bemerkungen zu lat. Prosaikern, Landsberg a. W. 1865.

versibus scriptum fuisse prope, et prius illud prope coniungi debet non cum magna pars, sed cum verbo ,existimandi', quod praecedit; soloece postpositum est adverbium. Ita saepe scriptor adverbio utitur, quade cfr. 4, 5. 25, 6. 25, 7. 29, 4. 31, 1. Sed prorsus ineptum est alterum prope, quod quomodo se interpretari posse persuaserint sibi interpretes, ego prorsus non intelligo. Itaque totus locus sic est scribendus: Sic in illo facto cum inscientibus accidisset, existimant prope magna pars hominum, qui in his castris fuissent, se [prope] captos esse. Fortasse prope captos debetur 4, 5 Ulia prope capta.

V, 5 Quae res cum ad maiorem contentionem venisset, ab utrisque comminus pugna iniqua, dum cupidius locum student tenere, propter pontem coangustabantur, fluminis ripas adpropinquantes coangustati praecipitabantur. Unus det. codd. habet inita pro iniqua. Kochius cum iusto iure l. s. 478 desideraret verbum finitum ad nominativum pugna iniqua pertinens, scribendum esse docuit ab utrisque committitur pugna iniqua, liberius, puto, quam rectius. Primum enim in ipso vocabulo comminus nihil est, quod offensioni esse possit, cum et ex iis, quae antecedunt, appareat, pugnam comminus esse commissam (cfr. 23, 8 inter quos ita comminus est pugnatum) et multo leviore correctione verba emendari posse videantur. Intercidisse enim videtur in optimis libris propter vocabulorum similitudinem post iniqua id, quod in uno deteriore servatum est, inita; verba autem pugna iniqua inita pro ablativo absoluto, qui dicitur, sunt habenda, quo facto omnia bene procedunt. Itaque scribas velim: ab utrisque *pugna iniqua inita,* dum cupidius locum student tenere, propter pontem coangustabantur. cfr. Quinct. 5, 12, 22 initurusque certaminum forensium ... pugnam iam in schola victoriam spectet. Liv. 28, 6 Macedonum praesidium conglobatum sub arcis muro stetit; nec fuga effuse petita, nec pertinaciter proelio inito. Vell. 2, 85 ubi initum certamen est.

VI, 1. Initio cap. VI. postquam scriptor narravit, Caesarem, cum frustra operam dedisset, ut hostem ex superiore loco in planiciem ad proelium committendum deduceret, castris motis copias Baetim flumen transportasse, his verbis pergit: ita firmissimum eius praesidium Ateguam proficiscitur. Sic plerique codices; unus b habet itaque, quo in vocabulo latere puto id, quod scriptum erat, ita ad. Quam emendationem ut certis argumentis fulciam, non possum, quin fusius de praepositionibus urbium terrarumque nominibus per hunc librum adiectis disputem. Quodsi in universum quaerimus, qui sit usus praepositionum ad nomina urbium atque substantiva cum iis coniuncta [urbs, oppidum, arx, praesidium] accedentium, apparet, scriptorem praepositionibus non modo ibi esse usum, ubi consuetudine sermonis latini poscatur praepositio, sed etiam haud raro iis locis, quibus, si elegantiorum scriptorum rationem dicendi spectes, praepositionem omitti necesse sit. Inde perspicuum est, scriptoris B. H. sermonem hac in re similem esse sermoni non solum veterum poetarum Naevii, Ennii, Plauti, qui ante urbium nomina saepe utantur praepositionibus in [Draeger hist. Synt. I. 366] et ab et e [Holtze synt. prisc. Latin. I. p. 50. Draeger l. s. 455, 456] sine iusta caussa, sed etiam Livii [vide Draeger l. s. 456] et aliorum scriptorum. Iam vero recognosce mecum locos B. H. huc pertinentes. Iure deest praepositio hisce locis: 32, 3 Valerius adolescens Cordubam fugit. 32, 3 qui Cordubae fuisset. 32, 6 (Acc.). 35, 1 (Acc.). 35, 4 (Acc.). 36, 1 (Abl.). 37, 2 (Acc.). 39, 3 (Abl.). 39, 3 (Acc.). 42, 1 (Abl.). Iure adiecta est praeposito ad, quae regionem alicuius oppidi vel urbis significet: 4, 1 Hoc misso ad Uliam praesidio. ibid. ad Cordubam contendit. 4, 5 ad Cordubam iter facere coepit. 6, 2 ad Cordubam se recepit. Eodem modo in usurpatum legitur 27, 5 iter fecit in Carrucam. Iure additur a praepositio 6, 1, nam

hoc loco narratum est, iter factum esse ab urbe vel oppido, quod ab hostibus teneretur. Quapropter mirari licet, quod tribus locis, ubi scriptor regionem urbis, non urbem ipsam vult significari, non posuit suo more praepositionem, sed omisit. 33, 1 Caesar ex proelio Munda (ex coniectura Glandorpii) munitione circumdata Cordubam venit [nam cognoscitur ex proximis versibus, urbem esse in potestate Pompeianorum]. Idem pertinet ad 35, 1 Caesar Hispalim cum contendisset, legatum deprecatum venerunt. 36, 4 Quo facto oppido recuperato Astam iter facere coepit; ex qua civitate legati ad deditionem venerunt. 41, 2 [Nostri] Ursaonem proficiscuntur, quod oppidum magna munitione continebatur. Sed nihil mutandum est, cum, si aliorum scriptorum dicendi rationem spectas, non desideretur praepositio. Praeterea autem eadem, quam supra diximus, caussa iure addita est praepositio 6, 1 Id cum animadverteret adversarios minime velle, quo eos, quomodo ab Ulia retraxerat, in aequum deduceret etc. 41, 5 ita necessario diducebantur nostri, ut a Munda, quam proxime ceperant, materiem illo deportarent. Spatium, quantum locus a loco distet, significatur 24, 2. Aspavia, quod est ab Ucubi milia passuum V. 32, 5 quod oppidum abest a Corduba milia passuum CLXX. Sed vide 12, 3 Idem temporis capti tabellarii, qui *a Corduba* ad Pompeium missi erant perperamque ad nostra castra pervenerant, praecisis manibus missi sunt facti (missi autem sunt ex ipsa urbe a Cordubensibus). 37, 3 Quarto die navigationis, quod imparati *a Carteia* profecti sine aqua fuissent, ad terram applicant. [Didium autem ipsam Carteiam antea tenuisse, ex iis, quae antecedunt, intelligis. 40, 8 Caesar rursus *ad Hispalim* recurrit. 42, 1 Caesar *ad Hispalim* cum Gadibus se recepisset, insequenti die contione advocata commemorat etc., ubi contionem civium in ipsa urbe fuisse, quis est, qui neget[1])? Nolo autem silentio praetermitti hoc loco nomen, cuius constructio fere nihil distat ab urbium nominum praeter consuetudinem cum praepositione coniunctum 32, 7 Qui illarum partium fautores essent, conveniunt *in domum*, quo erat delatus. [cfr. in coniunctum cum nominibus urbium apud vetustiores scriptores Holtze synt. prisc. Latin. I. p. 205 et Draeger histor. Synt. I. p. 366]. Iam vero restant nonnulli loci, ubi nomen oppidi coniunctum est cum nomine urbis, praesidii. Non deest praepositio 22, 1 qui *in oppido Ategua* Ursavonenses capti sunt. 22, 3 et speculatores *ad oppidum Ateguam* miserunt. 32, 5 Cn. Pompeius cum equitibus paucis ... *ad navale praesidium* altera parte *Carteiam* contendit[2]). Hinc sequitur, ut, ubicunque nomen oppidi vel praesidii antecedit nomen proprium, praeter unum locum 6, 1 ita firmissimum eius praesidium Ateguam proficiscitur posita sit praepositio, unde mihi vix quidquam dubitationis relictum est, quin interciderit post ita, quod facillime fieri potuit, praepositio *ad*, et scribendum sit ita *ad* firmissimum eius praesidium Ateguam proficiscitur[3]). Neque vero haec, quae modo dixi, valent in 35, 4 Rursus Hispalim oppidum denuo noctu per murum recipitur, ubi Oudendorpius probantibus editoribus inter-

1) Saepissime hic usus apud veteres scriptores occurrit [Draeger l. s. I, 455, 456, 457] et apud Livium [Draeger I, 366].

2) Semper legitur praepositio apud simplex nomen oppidi vel urbis. Frustra quaeres eiusmodi constructiones, quas legis apud Nep. 2, 4, 1 astu accedere 7, 6, 4 astu venire, et poetas [cfr. Draeger l. s. p. 365.]

3) Vide nomen praesidii cum adiectivo coniunctum positum a scriptore vulgaris sermonis ante nomen proprium 6, 1. 32, 5. Oppidi vocabulum adiectivo non adiecto sequitur nomen 3, 1 ipse autem Cn. Pompeius ... *Uliam oppidum* oppugnabat.

posuit inter ‚Hispalim' et ‚oppidum' in[1]). Primum enim hic nomen proprium primo est loco, unde factum est, ut scriptor negligentius, quam elegantius omitteret praepositionem, deinde autem recipiendi verbum in sermone vulgari videtur non abhorruisse ab simplici accusativo loci, in quem aliqua res recipitur, quemadmodum legimus Plaut. Mostellaria II, 2 68 nam me Acheruntem recipere Orcus noluit et Cic. Arch. 3, 5 statim Luculli, cum praetextatus etiam tum Archias esset, eum domum suam receperunt. Itaque simplicem accusativum teneo. Verum non dubitandum est, quin recte scripserit Nipperdeius 35, 3 hic clam praesidia *in* Lusitaniam proficiscitur, ubi deest in in optimis codicibus. Cfr. enim 1, 5 nuntiis *in* Italiam missis. 2, 1 *in* Hispaniam cum venisset. 22, 7 profugere *in* Bacturiam.

VII, 2. Paucis tantum tangam Kochi coniecturam pro Haec loca sunt montuosa et natura edita ad rem militarem scribentis et natura expedita. Sane illis verbis edita ad rem militarem singularis efficitur vocabuli editus structura, ut subiungatur ad particula; tamen ut persaepe oratio scriptoris effuse fluctuans fines concinni sermonis egreditur, ita haud pauca extant summae breviloquentiae exempla. Vide 6, 4 Cuius in adventum praesidii causa Caesar *cum complura castella occupasset,* ubi Caesarem complures colles occupasse ibique castella constituisse manifestum est. 7, 1 Insequenti nocte castra sua incendit Pompeius et trans flumen Salsum *per convalles* castra inter duo oppida Ateguam et Ucubim in monte constituit pro itinere per convalles facto. 9, 5 [Caesar] cum III legionibus est profectus, ut laborantibus succurreret nostris; et cum ad eos appropinquasset, *fuga perterriti* multi sunt interfecti, ubi simplici vocabulo fuga vult scriptor exponi, hostes terga vertisse. 24, 6 ita *pridie* duorum centuvionum *interitio* hac adversariorum poena est litata, ubi exspectas ita interitio duorum centuriorum, qui pridie sunt interfecti etc. 42, 2 insequenti praetura ampliato honore *vectigalia,* quae Metellus imposuisset, *a senatu petisse* pro petisse et impetrasse ab senatu, ut Hispani vectigalibus a Metello impositis liberarentur. Ideo recte sese habent edita ad rem militarem pro edita ideoque idonea ad rem militarem, uti scriptum est 8, 1 quod loca sunt edita et ad castrorum munitiones non parum idonea.

VII, 5 postquam narravit scriptor, Pompeium aquilas et signa XIII legionum habuisse, quattuor autem tantum legionibus confisum esse, haec adiunguntur reliquae ex fugitivis auxiliares consistebant. Nam de levi armatura et equitatu longe et virtute et numero nostri erant superiores. Iure reprehendit Nipperdeius Pr. 230 ineptum illud legiones auxiliares; dubitat autem, utrum auxiliares a librario, qui lecto initio c. 30 auxiliorum commemorationem desideraverit, in margine adscriptum et perperam inter verba positum sit, an ipse scriptor hic quoque auxiliares commemoraverit verbaque eius truncata sint. Kraner auxiliares uncis seclusit, quod non sufficit ad locum restituendum. Quodsi illud, quod sequitur enuntiatum consideras, num dubium esse potest, locum esse verborum aliquot intercisione destructum? Num habet illud enuntiatum, quo argumentum afferri alicuius rei antea commemoratae ex particula causali nam intelligitur, num habet, quo referatur? Nisi caussa antecedente haec sententiarum iunctura particula nam effecta non potest evenire. Etenim quod Romani levi armatura et equitatu et virtute hostes praestabant, haec res non potest esse argumento, cur reliquae Pompeii legiones ex fugitivis constiterint. Quapropter mihi persuasi,

---

1) cfr. vero 22, 6 per fallaciam in oppidum esset receptus.

lacunam esse statuendam et intercidisse aliquot verba, nec pauca post consistebant; his autem verbis legiones enumeratas esse Caesaris, quae, quod cognosci licet ex capite 30 nostra praesidia LXXX cohortibus [sc. constabant], numero inferiores erant, deinde, auxiliis et equitatu[1]) quantum valeret Pompeius esse commemoratum, neque tamen conditionem Caesaris ob minorem legionum numerum fuisse malam, tumque perrexisse scriptorem nam levi [sic ego] armatura etc. Unum vero, quod reliquum est vocabulum, auxiliares, cum cetera deleta essent verba, in prius enuntiatum librarii temeritate irrepsit. Illud ‚de' autem ideo tollendum puto, quod cum abhorret a latine dicendi consuetudine, ex qua vocabulum superior coniungitur cum simplici rei ablativo, tum is, qui archetypum exaravit, nescio quo impulsu permotus ante casus obliquos nominum substantivorum saepius praepositiones interposuit, quas pravissime esse positas ipsa docet sententia. Itaque recte delevit Nipperdeius 6, 3 cui cum de Pompeio nuntius esset allatus, eo die proficiscitur cogente sententia illud de, quod omnes perhibent libri, recte delevit Clarkius 16, 1 huius dies extremo tempore a Pompeianis clam ad nostros tabellarius est missus cogente sententia illud ad, recte Davisius delevit 18, 8 in verbis corruptis fune crure de ligno illud de, recte extrusum est ab editoribus 34, 1 simul Caesar castra contra ad oppidum posuit illud ad, quod est in a. Ex hoc autem genere suspicor esse et 7, 5 nam de levi armatura . . . erant superiores et 24, 4 quo de facto cum utrorumque copiae tumulum excellentem petissent, prohibiti a nostris sunt, ubi collatis duobus locis 13, 5 quo facto ab oppidanis, ac si suarum partium essent, conservati et 36, 4 quo facto oppido recuperato Astam iter facere coepit[2]) de librarii manui deberi atque tollendum esse censeo. Sin autem arbitreris, namde ortum esse ex namque (cfr. 28, 4 namque superius demonstravimus, loca excellentia tumulis contineri) et pro quodefacto scribendum esse quoperacto[3]) (cfr. 9, 4 Quo peracto cum ex castello repugnare coepissent) non habeo, cur non assentiar. Itaque, ut redeam, unde sum profectus, 7, 5 sic scribi velim reliquae ex fugitivis consistebant. [Incipit novum enunciatum] ....... auxiliares ......; nam aut namque levi armatura et equitatu longe et virtute et numero nostri erant superiores.

IX, 2 sic edebatur: Ita fretus opinione tertia vigilia profectus castellum oppugnare coepit. Eritne, qui mihi persuadeat ‚ita fretus opinione' esse latinum? Ipso scriptore praeceptore scribam ita *hac* fretus opinione, quemadmodum legitur 28, 3 ita hac opinione fretus tuto (Nipp.) se facere posse existimabat. 6, 5 ita illa obscuratione cum aliquot cohortibus et equitum turmis circumcludunt Caesaris equites. 14, 1 falsaque illa opinione gloriatus est, quod prope in nostris partibus locum tenuisset. Ista, quod voluit Aldus, non placet, cum non solum omnino usus huius pronominis abhorreat ab scriptoris sermone, sed etiam coniunctura sententiarum effecta ita particula in capite enuntiatorum posita apud scriptorem B. H. usitatissima sit, qua de re confer, quae ad 32, 2 de hac particula exponam.

XIV, 4 in libris manuscr. sic sunt exarata: qui cum aliquo loco a nostris recepti essent, ut consuessent, ex simili virtute clamore facto aversati sunt

1) Cfr. 30, 1 Erat acies [sc. Pompeii] XIII aquilis constituta, quae lateribus *equitatu* tegebatur cum *levi armatura milibus sex*, praeterea *auxiliares* accedebant prope alterum tantum.

2) Etiam in bello Afric. semper legitur quo facto 29, 4. 48, 5. 66, 3. 78, 8. 82, 4. 83, 3. 85, 9.

3) Facillime fieri potuit, ut pacto mutaretur inverso compendio in dacto, unde debetur librarii sapientiae de facto.

proelium facere. Agitur autem de Pompeianis. Recte Nipperdeius Pr. 235 iudicat, consuessent haud posse tolerari, sed quomodo coniunctivus sit emendandus, sese non invenisse fatetur. Proxima autem verba ex simili virtute clamore facto aversati sunt proelium facere si a scriptore B. H. sic profecta et ironice dicta esse censet, complura obstant, quominus ei assentiamur. Neque Kraner corruptelam sustulit scribendo ut constitissent, quia eum fugit, princeps mendum latere in alio vocabulo. Etenim num recte se habere possunt illa verba aversati sunt proelium facere? Quantum distent a re ipsa atque a veritate, num melius evinciri potest, quam cum ex iis, quae antecedunt, tum ex iis, quae subsecuntur? Narravit enim antea scriptor, propter paucitatem Caesarianorum hostes impetu in adversarios facto victoriam reportasse atque cedentes acriter prosecutos esse. Deinde autem uberius de ‚proelio commisso' verba facit 15, 2 id, quod *in hoc* accidit *proelio.* Cum pedites levi armatura lecti *ad pugnam equitibus nostris necopinantibus venissent,* idque *in proelio* animadversum esset, complures ex equis descenderunt. Ita exiguo tempore eques pedestre *proelium facere* coepit. Itaque, quae in libris extant aversati sunt ipsis scriptoris verbis sunt contraria, sive Pompeianos subiectum esse vis, sive Caesarianos. Nam neque hi, neque illi proelium recusant, alteri consistentes, ut hostem excipiant, alteri impetum in hostem facientes, ut in castra repellant. Accedit, quod ironia nequaquam simplici scriptoris sermoni convenit, neque alioquin, quod sciam, apud scriptorem latinum legitur adversandi verbum coniunctum cum infinitivo. Elegans est Kochii emendatio et certa, qui adversati corruptum esse docet ex adversarii, quod vocabulum pro alioquin usitatiore hostis sexcenties hoc in libro reperitur.[1]) Illud vero Kraneri ut constitissent mutavit in et constitissent, qua correctione et grammaticae et sententiae satisfecit. Et hactenus haud dubie veritatis partem attigit Kochius. Totum autem locum ita scribens et constitissent, exercitus mirabili virtute clamore facto adversarii coacti sunt proelium facere, ut ad verum accesserit, non possum non timere. Iure ex simili virtute clamore facto nihil esse iudicat. Sed, ut silentio praetermittam, audaciorem esse litterarum mutationem et longe decessisse eum a perspicuis pristinae loci formae indiciis, non animadvertit Kochius, scriptoris B. H. esse, virtutis vocabulum coniungere cum adiectivo eximius [cfr. 23, 4 acriterque eximia virtute plures cum agerent et 31, 5 at illi [Nipp.] eximia virtute proelium facere.] Inde facillima est correctio et vera: pro ex simili virtute duobus vocabulis in unum contractis fac scribas eximia virtute — adversarii — proelium facere, ut verba fere eadem sint, atque quae leguntur 31, 5. Hoc autem adiectivum audaci impetui hostium convenire, quis est, qui neget? [cfr. 14, 2.] Etiam aliis locis scriptor virtuti Pompeianorum laudem tribuit, cfr. 11, 2 acerrime pugnatum est. 12, 5 acriterque pugnare coeperunt. 13, 8 pugnatum est aliquamdiu vehementissime. 19, 2 pro muro pugnarunt acerrime etc. Neque id, quod Kochius post adversarii addit vocabulum coacti, ut plena fiat sententia, placet. Recognosce enim, quaeso, quae superioribus versibus exposuerit scriptor. Hostes i. e. Pompeiani propter paucitatem Romanorum et victoriam reportaverant et cedentes Caesarianos subsecuti erant; quae cum ita sint, num scriptum esse potuit, Pompeianos coactos esse proelium facere? Ipsi proelio contendere studebant. Ideo persuasum habeo, sunt

---

1) Legitur 2, 2. 3, 6. 3, 8. 5, 6. 6, 1. 10, 4. 11, 3. 12, 6. 13, 8. 14, 2. 15, 3. 18, 5. 20, 2. 20, 4. 21, 1. 23, 2. 23, 6 (bis). 25, 3. 25, 8. 36, 5. 29, 3. 29, 6. 29, 8. 30, 4. 31, 1, 3, 4 (bis) 7, 10. 32, 2. 38, 5. 38, 6. Rarius occurrit hostis 1, 5. 17, 2. 31, 2, 4. 32, 2 (bis). 41, 3.

esse addidamentum librarii cuiusdam, quod postquam adversarii corruptum est in adversati, ad supplendam sententiam adiecit. Scriptoris verba autem fuisse haec: Qui cum aliquo loco a nostris recepti essent *et constitissent, eximia* virtute clamore facto *adversarii* proelium facere *coeperunt.* Et hic miretur quispiam, quod verbis, quae sunt in libris, adiciendum putem coeperunt, cum exempla infinitivi historici, quem dicunt, complura extent hoc in libro, cfr. 29, 5 Nostri laetari, nonnulli etiam timere. 31, 5 at illi eximia virtute proelium facere [ubi Oudendorpius delerit ‚possent' post facere] 33, 5 ipse de tempore coenare[1]). Neque tamen pro certo habeo, omnibus his locis fuisse infinitivum historicum; est enim, cur suspicer, et 14, 4 et 31, 5 intercidisse ‚coeperunt', cum alioquin, ubicunque scriptor refert initium alicuius pugnae vel proelii vel oppugnationis, hoc verbum adiungitur, quod omnino a nullo scriptore latino saepius usurpatum est, quam ab scriptore B. H. Huc accedit, quod in illo possent ab Oudendorpio secluso latere videntur vestigia pristiniae lectionis. Iam vero mecum perlustra oculis et animo hosce locos. Legitur coeperunt 9, 2 clamore repentino telorumque multitudine iactus facere coeperunt. 12, 5 acriterque pugnare coeperunt. 13, 6 pugnare pro muro toto coeperunt. 23, 6 adversarios ad vallum agere coeperunt. 31, 7 adversariosque vehementissime pugnantes nostri agere coeperunt. 32, 2 oppidum ... oppugnare coeperunt. 33, 2 ita pugnare coeperunt de ponte. 35, 4 de integro pugnare coeperunt. Praeterea cum aliis verbis coniunctum 3, 2 petere coeperunt. 15, 6 de muro praecipites mittere coeperunt. 22, 4 lapidare et ei manus intentare coeperunt. 34, 1 discordare [Nipp.] coeperunt. 37, 1 propter Pompeium dissentire coeperunt. 40, 7 pelagus remis petere coeperunt. Legitur coepit 6, 3 Caesar munitionibus Ateguam oppugnare et brachia circumducere coepit. 9, 2 castellum oppugnare coepit. 13, 1 postero die Pompeius ... brachium ducere [adiec. Kochius] coepit. 15, 3 eques pedestre proelium facere coepit. 34, 2 legio ... oppidum defendere coepit. Cum aliis verbis coniunctum 10, 3 et ad Cordubam versus iter facere coepit. 25, 3 qui ... ex adversariis sibi parem esse neminem agitare coepit. 36, 4 iter facere coepit. 37, 2 confestim sequi coepit. Leguntur coepisset et coepissent 27, 5 cum oppugnare coepisset. 9, 4 Quo peracto cum ex castello repugnare coepissent. 12, 6 Hic cum eruptionem facere coepissent. Passivum legitur 15, 5 pro muro pugnari coeptum est et 31, 4 legio adversariorum traduci coepta sit. Itaque non dubito et 14, 4 et 31, 5 infinitivo proelium facere subiungere coeperunt; apparet autem depravationis origo ex similitudine, quae intercedit inter extremas vocabuli facere litteras et primas litteras vocis coeperunt vel ceperunt vel cepeř; facillime potuit intercidere[2]), quod factum est 14, 4[3]); altero loco 31, 5 postquam duae priores litterae ce sunt omissae vel ablitteratae, aut perunt in possent, aut peř, quod quid esset non intellexit librarius, in posse consulto mutata sunt.

XV, 6 Nefandum crudelissimumque facinus sunt aggressi in conspectuque nostro hospites, qui in oppido erant, iugulare et de muro praecipites mit-

1) Non admisit Hirtius infinitivum historicum, belli Africani scriptor toties, ut modum excederet, cfr. Nipp. Pr. 28.

2) Vide autem librarii negligentia in codice Leidensi primo 6, 1 coeperunt post mittere intercidisse, ubi ceteri libri omnes hoc vocabulum exhibent: de muro praecipites mittere coeperunt.

3) An latent reliquiae pristinae scripturae in eo vocabulo, quod nunc est in capite enuntiati, quod sequitur, fere? Sed de hac re non libet plura scribere.

tere coeperunt sicuti apud barbaros, quod post hominum memoriam numquam est factum. Verba sicuti apud barbaros Kochius l. s. p. 479 corrupta esse censet; proximo enim enuntiato fieri perspicuum, ne apud barbaros quidem tale quid ex sententia scriptoris esse admissum. Itaque scribendum sicuti *ne* apud barbaros *quidem* post hominum memoriam *unquam* factum est. Equidem non ita iudico. Breviloquentia[1]) in hoc libro non mira usus haec vult dicere scriptor, apud barbaras quidem gentes talia facinora esse commissa, sed in imperio Romano, inter cives Romanos, in provinciis, quae a cultu et humanitate Italiae non longe absint, tale quid esse inauditum. Fugit enim Kochium, 42, 4, ubi Caesar Gadibus contione civium convocata graviter et acerbe Hispanos accusat propter iniurias sibi populoque Romano illatas, haec legi: Vos iure gentium civiumque Romanorum institutis cognitis *more barbarorum* populi Romani magistratibus sacrosanctis manus semel et saepius attulistis. Tenenda igitur sunt sicuti apud barbaros.

XVII, 2 ita in libr. sunt exarata: et propter patriae luctuosam perniciem dedimur hostium numero, qui neque in illius prospera acie primam fortunam, neque in adversa secundam obtinuimus victoriam abundante ridiculo illo victoriam, quod seclusit Nipperdeius. Sunt autem verba legatorum a civibus oppidi Ateguae Caesaris copiis obsessae deprecandi caussa missorum, qui miseram conditionem suam lamentantes eius auxilium contra Pompeianorum iniurias implorant. Correctione, quam Kochius faciendam statuit scribens *ducimur* hostium numero, non opus esse videtur; licet a communi dicendi usu abhorreant verba dedimur hostium numero, tamen non aspernantur facilem interpretationem. Proxima autem verba esse corruptissima, miror, quod nemo adhuc vidit. Non quin sciam, quam sententiam his verbis esse velint interpretes. Si sententia est, haec fere est. Queruntur et miserantur Ateguenses tristem sortem suam, quod se ad Pompei caussam applicaverint neque potius Caesaris fortunam et victoriam secuti, quam illius calamitatis periculorumque consortes facti sint. Et hoc eo gravius, quod neque florentissimis eius rebus superbia, iniuriis, tributis Pompeianorum oppressi[2]) prosperae eius fortunae unquam participes fuerint, et fortuna inclinata postquam Caesar in Hispanias venerit, ipsi maxime prae ceteris calamitatibus illorum affecti sint, quas magis senserint, quam ipsi Pompeiani. Haec debet esse sententia verborum. Sed quam mire et insolenter dictum est prima fortuna pro prospera, secunda fortuna. Quam mire et insolenter primam fortunam obtinuimus. Itaque duobus verbis transpositis paucisque litteris mutatis haud procul abest suspicio, esse scribendum qui neque in illius prospera *fortuna aciem* primam, neque in adversa secundam obtinuimus, ut prospera fortuna respondeat adversae, prima acies respondeat secundae. Iam legati salva grammatica et sententia haec dixerunt: ‚Nos Pompei caussam sequentes semper infelices fuimus. Nam neque cum ille semper victor e proeliis cum legatis tuis commissis decederet, nos dignos esse putabat, qui in prima acie, inter primores pugnantes praeter ceteros victoriae honore frueremur, neque cum res eius deteriore statu esse coepissent, et ancipite infaustoque Marte pugnaret, in tutiore secunda acie pugnare siti, sed semper prima dimicare coacti sumus ideoque belli periculis omnium maxime expositi obiectique fuimus. Huc spectant, quae subsecuntur qui legionum tot impetus sustentantes, nocturnis diurnisque temporibus [Nipp.] gladiorum ictus telorumque missus exspectantes etc.

---

1) cfr. quae dixi ad 7, 2.
2) cfr. quae cap. 1 narrantur.

Cap. XVII postquam scriptor narravit, Tullium quendam et Catonem Lusitanum legatos ad Caesarem venisse, qui pro salute patriae urbis, quam Pompeiani tenebant, verba facerent, initio c. VIII ita pergit: Remissis legatis cum ad portam venissent Ti. Tullius et cum introeuntem C. Antonius insecutus non esset, revertit ad portam et hominem apprehendit. Quod Tiberius cum fieri animadvertit, simul pugionem eduxit, et manum eius incidit. Ita refugerunt ad Caesarem. Nipperdeius iure l. s. 238 verba mendosa esse censet, sed extra fines veritatis egressus esse videtur dicens, esse manifestum, initio c. 18 ne vestigium quidem sententiae relictum, quod prorsus nego. Sententia, quamvis miserrime truncatus sit locus, dubia esse non potest. Narratur, legatos Ateguenses, qui non nisi clam praesidio Pompeii, quod oppidum tenebat, ad Caesarem ex urbe egredi potuerant, responso dato ad urbem revertisse. Quinam fuerint legati, in propatulo est, cum initio cap. 17 nominentur Tullius et Cato Lusitanus. Quis igitur dubitaverit, quin, quoniam in iis, quae subsecuntur, non nisi de his duobus legatis agatur, in C. ANTONIVS lateat CATO LVSITANVS[1]? Deinde autem non difficile est ad diiudicandum, quale verbum exciderit ante Ti. Tullius, quod sententia et grammatica poscitur. Perspicuum enim est, ex illo, quod sequitur, participio et cum introeuntem Cato Lusitanus insecutus non esset, eruendum esse pro consuetudine linguae latinae verbum finitum eiusdem stirpis introiit, cuius vestigia dubito an reperias in compendio nominis Tiberii, quod in codicibus est ante Tullius. Nam licet mirari, quod scriptor, postquam antea initio cap. 17 simplex posuit Tullius, hic adiecerit praenomen. Intercidit autem introiit propter similitudinem litterarum verbum, quod praecedit, claudentium venissent. Sic sine opera ac labore etiam neglecto participio, quod sequitur, ex illis ent, ex Ti, ex T littera, quae est in capite nominis Tullii, eruisse mihi videor introiit. [Quod ad verbum introeundi cfr. c. 22 qui sc. legati cum ad oppidum venissent, nostri, qui fuissent equites Romani et senatores, non sunt ausi *introire* in oppidum; quod ad usum participii repetiti, cfr. 5, 5 propter pontem *coangustabantur,* fluminis ripas appropinquantes *coangustati* praecipitabantur et 40, 3 erant parati, qui naves *incenderent incensisque,* qui subsidium propellerent (sic ego pro repeterent)]. Quibus verbis emendatis restant et hominem apprehendit sensu prorsus cassa, sed non ita comparata, ut sanari non possint. Apparet enim, sententiam totius loci hanc esse debere. Ubi Tullius clam praesidiis Pompeianis re bene gesta per portam in urbem ingressus est, respiciens animadvertit Catonem sive metu Pompeianorum sive qualibet alia caussa commotum se non esse secutum. Itaque eius saluti timens ad portam iam revertit, cum ab homine adversario a Pompei partibus stante, qui redeuntem conspiciens perfugam eum esse suspicatus erat, comprehensus est. Sed pugione educto adversario vulnerato semet ipsum liberat, per portam properat, Catonem extra oppidum assequitur. Sic ambo ad Caesarem, unde erant profecti, refugiunt. Hinc facilis est correctio revertit ad

1) Video, Kranerum adn. crit. LXII. in similem emendationem incidisse, pro C. Antonius scribens Cato; praetulerim autem emendationem meam, quod ea litterae illae NIVS verbum, quod traditum est, Antonius claudentes facillime explicantur. Quantopere autem in libris manuscr. B. H. nomina propria librariorum negligentia sint corrupta, exemplis, quae secuntur, cognoscere licet. Ubique habent codd. ullam pro Uliam, cfr. 3, 1, restituit Ciacconius. 3, 4 legitur Iunius Paciaecus pro Vibius Paciaecus (cfr. Forchhammer quaest. crit. p. 114) 22, 1 legitur articula pro Ategua, restituit Glandorpius. 22, 3 ex aversione pro ex Ursavone, Madwig Adv. II, 289. 27, 4 Ventiponte pro Ventipone, Nipp., 28, 2. Versaonensium pro Ursavonensium, Gland., 32, 3 Falerius pro Valerius, Aldus. 42, 4 captum pro Cassium, P. Manutius.

portam, *ubi homo eum* apprehendit[1]). Igitur initium cap. 18 sic est scribendum: Remissis legatis cum ad portum venissent, *introiit* Tullius et cum introeuntem *Cato Lusitanus* insecutus non esset, revertit ad portam, *ubi homo eum* apprehendit. Quod *Tullius* cum fieri animadvertit, simul pugionem eduxit et manum eius incidit. Ita refugerunt ad Caesarem.

XVIII, 3. Eodemque tempore signifer de legione prima transfugit et nuntiavit, quo die equestrę proelium factum esset, suo signo perisse homines XXXV etc. Morus ante suo signo intercidisse censebat praepositionem e, Kreyssigius ex, haud dubie, quod suo signo ablativum esse arbitrabantur atque non immemores erant horum locorum 24, 6 nam ceciderunt ex levi armatura CCCXXII. II 20, 4 centuriones . . . VIII ad Caesarem transfugerunt ex legione vernacula, similium; omiserunt recentiores editores secundum codicum auctoritatem. Et iure, cum non sit habendum pro ablativo, sed pro dativo, quemadmodum haud raro pereundi verbum legitur coniunctum apud scriptores latinos cum dativo personae vel rei, cui aliquid perit, cfr. Cic. Att. 2, 17 ne opera et oleum philologiae nostrae perierit. Plin. ep. ne quis, cum in urbem rediero, contubernio nostro dies pereat. ICt. . . . dum languet libertus, patrono operae pereunt.

XVIII, 5 Insequenti tempore duo Lusitani fratres transfugae nuntiarunt, quam Pompeius contionem habuisset: quoniam oppido subsidio non posset venire, noctu ex adversariorum conspectu se deducerent ad mare versum. Offendit Kochius l. s. p. 479 in se deducerent. ‚Hier ist se deducerent für eine Heeresbewegung durchaus unlateinisch und auch nicht durch cap. 40, 2 ad Didium se reportant zu vertheidigen. Es ist daher zu schreiben se reciperent‘, haud recte, ni fallor. Non nego se recipere esse latinius et usitatius [cfr. in hoc libro 4, 3. 6, 2. 16, 3. 22, 3. 25, 8. 27, 4. 40, 2. 40, 7.], sed non pauca vocabula militaria in hoc libro extant, quae aut alioquin non leguntur aut ab hoc scriptore primum, quoad cognosci potest, usurpatata sunt. Satis habeo, hoc loco haec attulisse. 6, 3 munitionibus Ateguam oppugnare. 6, 2 carra. 6, 4 ubi pedestris copia in statione et in excubitu castris praesidio esse possent. 7, 1 aggerem vineasque agere. 7, 4 legionem facere. 10, 1 capere signa ab oppidanis. 12, 5 eruptionem facere ad aliquem. 12, 5. 23, 2. 27, 1 in opere distentum esse. 13, 4 ad murum opus facere. 13, 5 conditiones dare. 13, 6 pugnare pro muro, ut idem sit, atque ‚de muro‘[2]). 16, 4 hostem oppido reprimere cfr. 40, 1 se recipere castello. 16, 6. 22, 6 iugulationem facere. 22, 3 praesidio insequi. 22, 6 oppidum in potestatem recipere. 23, 5 proelium facere, de pugna ab uno homine cum compluribus commissa dictum. 23, 6. 25, 2. 31, 1 concursum facere. 23, 8 ex utroque genere pugnae complures sunt vulneribus affecti, idem 31, 3. 25, 2 locum efflagitare, pro locum petere. 26, 6 sibi commeatus capere, quocum confer 38, 6 sibi praesidium capere. 29, 1 hinc dirigens planicies. 29, 2 decursus [sc. planiciei]. 29, 8 loco iniquo patrocinari. 30, 1 erat acies XIII aquilis constituta, quae lateribus equitatu tegebatur. 31, 4 dextrum cornu

---

1) ad apprehendendi verbum cfr. Gell. 5, 14 et viam ferme tridui permensus a militibus visus apprehensusque sum. Caecil. ap. Gell. 15, 19. Sil. 16, 374. Dig. 13, 7, 11. Ibid. 11, 4, 1, § 3. — Cic. Att. 10, 8. 2. — Falsum Tiberius, quod sequitur, ortum est ex corrupto compendio Ti.

2) Sall. Iug. 94, 4 pro muro agitare non perspicuum est, quid sit ‚pro‘. cfr. Draeger histor. Syntax I, p. 599.

tenere. 31, 6 ad subsidium venire, cfr. 31, 4 ad subsidium traduci. 36, 4. 39, 2 caedem administrare. Accedunt autem nova proficiscendi, fugiendi, fugandi vocabula. 40, 2 Lusitani ... ad signum se receperunt et bene magna manu comparata ad Didium se reportant cfr. Apul. Metam. 1, 25 extr.[1]) lautusque ad hospitium Milonis ac dehinc cubiculum me reporto. 31, 5 quae [sc. legio] simul est mota, cfr. B. Afr. 14 cum utrimque exspectatio fieret, neque Caesar sese moveret, ibid. 61 subito universus equitatus ... sine frenis ab dextra parte se movere ... coepit. 40, 8 Caesar Gadibus rursus ad Hispalim recurrit, pro ‚profectus est.‘ 23, 3 centuriones ... eximia virtute plures cum agerent pro ‚repellerent.‘ cfr. agere eadem significatione cum adiectivo coniunctum Caes. B. G. 4, 12, 2 perterritos egerunt, ibid. 5, 17, 3 praecipites hostes egerunt. B. C. praecipites hostes egerunt. Liv. 2, 25, 4 eques usque ad castra pavidos egit. Mire dictum est etiam 12, 6 tamen repulsi adversarii bene multis vulneribus affecti in oppidum se contulerunt.

XVIII, 6 Eodem tempore tabellarii eius deprehensi, qui ad oppidum veniebant; quorum litteras Caesar oppidanis abiecit et qui vitam sibi peteret, iussit turrem ligneam oppidanorum incendere; id si fecisset, ei promisit omnia concessurum. Quod difficile erat factu, ut eam turrem sine periculo quis incenderet. Ita fune crure de ligno cum propius accessisset, ab oppidanis est occisus. Emendationem verborum corruptorum fune crure de ligno complures tentaverunt. Goduinus coniecit ita fune crure deligato, scilicet ne tabellarius interea in urbem confugeret, quam coniecturam praeter unum Schneiderum probavit nemo, quia res ipsa incredibilis est. Non possum autem non mirari, quod nec Nipperdeius nec Kraner speciosam et certam Davisii correctionem *turri ligneae* cum propius accessisset non dignam duxerunt, quam reciperent. Turrim ligneam scriptor non solum in versibus antecedentibus paragraphi sextae commemorat, sed etiam initio cap. 19; consuetudine sua in verbis semel usurpatis haerens[2]) eadem repetit, Vigilia secunda propter multitudinem telorum *turris lignea* ab imo vitium fecit. De praepositione de tollenda confer, quae ad VII, 5 exposui. Restat, ut emendetur verbum fune procul dubio corruptum. Hariolor autem, fuisse *funestae*. Recognosce enim, quaeso, mecum initium capitis antecedentis: invenies in oratione legatorum Cordubensium haec verba cuius funestae laudes quoniam ad hanc fortunam reciderunt, ut etc. Verisimile mihi videtur, ex hac oratione scriptorem illud verbum repetisse, quoniam antea multis verbis demonstravit, non nisi magno cum periculo turrem potuisse incendi. Sed ne quis offendat in voce eleganti ab scriptore infimi ordinis usurpata[3]), conferat, quae Nipperdeius disputavit Pr. 28 et 29 de sermone scriptoris B. H. mirum in modum variato. Etenim ut totum scribendi genus humile et sordidum, hiulcum, durum atque difficile reprehenditur, ita non praetermittitur nonnunquam orationem ab humilitate discedere et assurgere temptare. Quin etiam sunt loci aliquot, ubi sermonem poeticum quendam ferre colorem nemo infitias ibit. Qua de re confer hosce locos 5, 6 Hic alternis non solum morti mortem exaggerabant, sed tumulos tumulis exaequabant. 11, 2 ignemque multum miserunt. 12, 4 ignem multum telorumque multitudinem iactando bene magnum tempus consumpserunt

1) cfr. Woelfflin, Philologus 34, 1 p. 151.
2) cfr. quae disputavi de restituendo 2, 1.
3) in oratione legatorum ipsa legatorum verba a scriptore relata esse videntur, cfr. proemium Mori.

26, 2 argento prope tecti. 29, 4 ut mirificum et optandum tempus prope ab diis immortalibus ... tributum esset ad proelium committendum. 30, 4 Quod cum hominum auribus esset obiectum. 31, 6 Cum crepitus auribus esset oblatus. 39, 1 neque equo neque vehiculo saluti suae praesidium parare poterat. Atque huc pertinet, ut duobus locis 23, 3 et 31, 7 Ennius ad partes vocetur. Itaque mihi non nimis audax videtur illa mea harriolatio, qua scriptorem elegantiora legatorum verba imitantem facio. Accedendi autem verbum proprio sensu adhibitum uti apud alios scriptores sic etiam in hoc libro generatim construitur cum accusativo praemissa praepositione ad, cfr. 3, 7 ad murum accedere et 13, 3 quo die ad oppidum capiendum accederent; sed significatione non translata hoc verbum in lingua vulgari etiam cum dativo esse coniunctum comprobat illud Livianum muris accedere; cfr. praeterea Ovid. Metam. 15, 745, ibid. 818, Sil. Ital. 15, 571, Draeger l. s. I, 376.

XXIII, 1. Insequenti tempore Caesar castris castra contulit et brachium ad flumen Salsum ducere coepit. Hic cum in opere nostri distenti essent, complures ex superiore loco adversariorum decucurrerunt nec detinentibus nostris multis telis iniectis complures vulneribus affecere. Verba nec detinentibus nostris ob ea, quae secuntur hic tum, (scil. postquam complures nostrorum vulneribus affecti sunt) ut ait Ennius, nostri cessere parumper non posse stare, iam intellexere Oudendorpius, Glandorpius, Schneider, Kochius[1]). Sed nec Glandorpii desinentibus, nec Schneideri et Kochii defugientibus placent, cum his verbis non satis explicetur, quomodo factum sit, ut tot Romani vulneribus afficerentur, nec alioquin apud hunc scriptorem legantur. Persuasum habeo, scriptum fuisse *necopinantibus* nostris. Tum sententia plana est, nec negligitur scriptoris dicendi consuetudo, nam legis 2, 2 quod *necopinantibus adversariis* eius provinciae potitus esset. 15, 2 cum pedites levi armatura lecti ad pugnam *equitibus nostris necopinantibus* venissent etc. 16, 4 Quod factum licet *necopinantibus nostris* esset gestum. Verba autem decucurrerunt et necopinantibus interpunctione distinguenda sunt.

XXVI, 7 Cohortes animo habeo ad vos mittere. Nipperdeius ante animo contra auctoritatem optimorum codicum interposuit in, quod habent quattuor deteriores, sequente Kranero. Sed non opus esse hac vocula licet cognoscere ex iis locis, quos Klotzius collegit sub animus p. 412, II, 1.

XXVII, 2 et Attium Varum circum castella praeesse discedunt et a communi[2]) et a scriptoris B. H. dicendi ratione. Repone circum *castellis* praeesse, quemadmodum legis 37, 2 Didius, qui *classi* praefuisset etc. Quomodo corruptela orta sit, haud difficile est ad demonstrandum. Librarius non intellegens circum esse adverbium, sed praepositionem esse ratus insequens ablativum castellis consuetudine sua in accusativum e praepositione pendentem commutavit. Quem librariorum errorem saepe in libris manuscr. B. H. offendimus. Sic habent 1, 4 a et f cum aliis pro cum aliquis. 1, 4 pro ex eius pecunia habet a ex eo pecunia. 39, 3 pro ad convallem exesumque locum habet a . . . ad convallem exse

---

1) Kochius l. s. 480. Der Sinn ist ohne Zweifel, dass die Caesarianer sich anfangs von den Gegnern nicht zurücktreiben liessen, bis dass, nachdem mehrere verwundet waren, sie wie es im Folgenden heisst, auf kurze Zeit wichen.

2) cfr. B. A. 3, 1. 29, 3. 68, 4.

sumaque. Praeterea circum adverbium legitur in hoc libro 38, 6 circum munitiones iugo dirigunt.

XXIX, 1 ante Nipperdeium haec edebantur: Planicies inter utraque castra intercedebat circiter milia passuum V, ut auxilia Pompeii duabus defenderentur rebus, oppidi excelsi et loci natura. Nipperdeius levi transpositione veram scripturam proximorum verborum restituit; scripsit oppido et excelsi loci natura, qua de re cfr. Pr. 242. Pergit autem, plane perverse auxilia Pompeii his duabus rebus defensa dici, id quod toti aciei Pompeianorum contigisse appareat. Itaque sibi non esse dubium, quin scriptor praesidia Pompeii posuerit, quemadmodum 30, 1 aciem Caesaris nostra *praesidia* appellaverit; magistrum autem pro sua consuetudine ‚praesidiis' vocabulum affinis significationis, sed in hac re ineptum substituisse. Assentitur Kraner, qui praesidia in textum, quem vocant, recipere non dubitavit. Attamen erravisse videntur; nam licet compluribus aliis locis scriptor hoc vocabulo ita utatur, ut idem sit, atque copiae auxiliares, qua de re confer 1, 3. 30, 6, tamen, nisi fallor, duobus locis huius libri auxilia nihil aliud significant, quam copiae vel manus. Duobus certe locis haec singularis significatio extat, legis 39, 3 exclusus [sic ego pro exclusa] munitione amissisque *auxiliis* ad convallem exesumque locum in speluncam Pompeius se occultare coepit. ‚Auxiliis' autem pertinet ad manum, quae sequitur profugum Pompeium, initio c. 38 his verbis significatam Pompeius cum paucis profugit; amissum autem hoc praesidium est in caede paragr. 2 c. 39 commemorata caedes a nostris undique administratur et 42, 6 Privatus ex fuga Cn. Pompeius adulescens a nobis receptus fasces et imperium sibi arripuit, multis interfectis civibus *auxilia* contra populum Romanum conparavit, ubi auxilia pro copiis sumendum esse apparet ex c. 1. Sed nescio, an eadem significatione hoc vocabulum positum sit in fine c. 1 civitates contrariae Pompeio *auxilia* sibi depostulabant. Confer praeterea Caes. B. C. 3, 106 Sed Caesar confisus fama rerum gestarum infirmis *auxiliis* proficisci non dubitaverat. Iustin. 1, 6 Astyages contractis undique *auxiliis* ipse in Persas proficiscitur. Flor. 2, 8 Hic rex, incredibile dictu, quibus *auxiliis*, quibus copiis consederat.

XXIX, 5 Nostri laetari, nonnulli etiam timere, quod in eum locum res fortunaeque omnium deducerentur, ut quidquid post horam casus (sic a; c habet causas, b curas) tribuisset, in dubio poneretur. Absurde dictum est post horam sententia prorsus cassum. Diu haesitabam, quid mihi esset scribendum; opinor scriptum fuisse post *laborem.* Postquam enim Caesariani per aliquod tempus in Hispania ancipiti Marte pugnaverunt [cf. cap. 23], compluribus proeliis victoriam ab hostibus reportaverant [capp. 24, 25, 26]. Post varios casus in campo Mundensi acies instructae sunt, sed ita, ut Pompeii secundiore esset loco [cf. 29, 1 ut auxilia Pompeii duobus defenderentur rebus, oppido et excelsi loci natura, et ibidem 2 rivus, qui ad eorum accessum summam efficiebat loci iniquitatem. 29, 8 adversarii patrocinari loco iniquo [sc. Caesarianis] non desinunt. Accedebat, ut hostes numero essent superiores, quod apparet ex initio c. 30. Quo factum est, ut pars militum vererentur tali conditione pugnare; nam facillime fieri potuit, ut quidquid commodi extremis pugnis multos labores passi essent consecuti, una adversa pugna amitterent. Et recte iudicasse hanc militum partem ipse scriptor initio 31 his comprobat verbis et vehemens fiebat ab utrisque clamor telorumque missu concursus, sic ut

prope nostri diffiderent victoriae. Ad usum laboris vocabuli cfr. Caes. d. b. G. 5, 19. 7, 20. 7, 85. 7, 88. id. b. c. 1, 68. 2, 41. 3, 5. 3, 26. 4, 2. 6, 41. 7, 20. 7, 83. 7, 86.

XXX, 3 Quod cum a Caesare esset animadversum, ne quid temere culpa secus admitteretur, eum locum definire coepit. Recte sensit Kochius l. s. 626 non profecta esse a scriptore locum definire, sed metuo, ne erraverit putans, ortum id esse ex defendere. Defendendi enim verbum tum tantum suo est loco, cum opponitur oppugnandi vel aggrediendi verbo. Hostes autem, sicuti intelligis ex superioribus versibus, impetum nondum fecerant, sed Caesarianos appropinquantes exspectabant [cf. 29, 8 neque tamen illi a sua consuetudine discedebant, ut aut ab excelsò loco aut ab oppido discederent et paulo post adversarii patrocinari loco iniquo non desinunt. Itaque, si definire non profectum est a scriptore B. H. restituendum suspicor eum locum *detinere* coepit. Apud hunc quidem scriptorem alioquin detinendi verbum hac significatione usurpatum non legitur, cum 5, 5. 14, 1. 30, 1 legatur simplex locum tenere, sed extat apud Plinium 15, 3, 5 ut *detinent* locum et translate ibid. 18, 12, 5 *detinentibus* terras nivibus. Reliquum est, ut commemorem, omnino scriptorem B. H. verborum compositorum de praepositione conformatorum valde esse amantem eaque composita verbis simplicibus praeferre solere, cfr. 1, 5 depostulare, quod, nisi fallor, alioquin non invenitur, 16, 6 deterreri. 18, 6 deprehendi. 24, 2 devocare. 27, 4 deuri. 29, 5 deduci. 42, 7 depopulare. Translata significatione usurpatum legitur detinendi verbum in hoc libro 1, 1 dum Caesar muneribus dandis in Italia detinetur. 3, 1 et fere iam aliquot mensibus ibi detinebatur. 16, 3. 34, 5. 36, 3. Praeterea autem sententia flagitat, ut post culpa addatur *sua,* quod iam Scaliger restituit ad Caesarem respiciens. Aberravit oculus librarii a sua ad insequens secus, quod ab eadem littera *s* incipit.

De XXXI, 4 alia mihi orta est dubitatio. Est sermo de proelio ab Caesarianis Pompeianisque commisso, et leguntur haec: Dextrum demonstravimus decumanos cornu tenuisse; qui etsi erant pauci, tamen propter virtutem magno adversarios timore eorum opera afficiebant etc. Verba eorum opera cum, quod equidem videam, hoc in sententiarum connexu praeter rationem dicta sint neque habeant, quo referantur, non dubito, quin debeantur interpolatoris manui, qui alius fortasse huius libri loci memor 22, 4 illius opera se perisse duo verba de suo adiecit. An fortasse ex alio fonte haec corruptela manavit? An forsitan verba originem duxerunt ex voce, quae in libris manuscr. ea excipit, ex timore bis librarii negligentia exarata? Facile intelligitur, alius librarii opera postquam alterum timore corruptum est in eorum, adiectum esse operam, quod etsi non convenit in totius enuntiati sententiam, tamen latinitatis speciem prae se fert. Et hoc satis fuisse librariis huius libri, non est, cur pluribus comprobem. Quantopere autem bellum Hispaniense interpolationibus (est incredibile dictu, quam absurdis) destructum sit, Nipperdeius Kranerque loco demonstraverunt.

Levius addidamentum falsa vocabuli cuiusdam repetitione ortum et a librariis sensim sensimque permutatum latere existimo in loco misere truncato, sed a Nipperdeio ex parte in pristinum statum redacto. XXXII, 2, ubi describitur circumvallatio urbis Mundae, apud Nipperdeium haec leguntur: ex hostium armis scuta et pila pro vallo, pro cespite cadavera collocabantur, insuper [occisi] in gladiorum mucrone capita hominum ordinata ad oppidum conversa universa hostium timorem .... cetera desunt. Pro universa est in codicibus universas, Nipperdeius extrema littera deleta ipsam vocem intactum recepit; ineptum occisi uncis seclusit. Sed quid sibi velit hoc loco vocabulum uni-

versa ad capita ordine in longa circumvallatione posita referendum, prorsus non intelligo, quippequod notionem huius verbi ipsius rei, quae narratur, statui conditionique esse contrariam in propatulo sit. Et ortum et corruptum est ex vocubulo antecedente conversa, a librario geminato, deinde mutatum est ab alio in universa; ideoque etiam hoc in additiciis numerandum et uncis secludendum iudico.

Tertius B. H. locus, qui mihi interpolationis suspicionem movit, est XXXIII, 3. Caesar postquam ad Mundam hostes devicit, itinere facto non procul ab urbe Corduba castra posuit, quare Cordubenses, qui a Pompeii partibus steterant, adverso proelio calamitatibusque paene fracti de salute sua desperarunt. Tum pergit scriptor: Scapula totius seditionis, familiae et libertinorum caput, ex proelio Cordubam cum venisset, familiam et libertos convocavit, pyram sibi exstruit etc. Deinde narrat, quomodo Scapula mortem sibi consciverit. Haud scio, an mecum sentias, interpolationis indicia inesse in verbis familiae et libertinorum. Et primum quidem verba suspiciosa esse iam inde apparet, quod paulo infra eadem fere verba uno libertinorum mire in libertos commutato iterantur. Deinde autem, qui tandem intercedit connexus inter verba artissime coniuncta caput seditionis et familiae et libertinorum? Quid attinet ad voluntariam Scapulae mortem, esse eum caput familiae et libertinorum? Profecto nihil. Cuius rei caussa repetenda est non nisi ex eo, quod seditionis, quae contra Caesarem Cordubae orta erat, fuerat auctor et caput. Male repetita sunt haec verba ex proximis versibus ex proelio Cordubam cum venisset, familiam et libertos convocavit. Simili complurium verborum repetitione turbatum esse caput 38 demonstrat Madvigius adv. crit. II, 291.

XXXII, 1, 2 Ubi scriptor oppugnationem Mundae narrat, post lacunam a Nipperdeio notatam haec eduntur ...... virtutisque insignia proposita viderent et vallo circumcluderentur, ita Galli tragulis iaculisque oppidum ex hostium cadaveribus [sunt] circumplexi oppugnare coeperunt. Petavianus omisit sunt, seclusit Nipperdeius. Subiectum verbi viderent debet esse Caesariani, verbi circumcluderentur debet esse Mundinenses, quae subita subiecti variatio hoc in libro non est offensioni [cfr. 9, 1 Pompeius, quod eodem iugo tegebatur loci natura, et remotum erat a castris Caesaris, animadvertebat etc., 16, 6 nam eos nihil meruisse, quare tali poena afficerentur, qui eos ad aras et focos suos recepissent, eosque hospitium scelere contaminasse]. Vitium latet in verbo Galli. Sane quidem tragula Gallorum [1]) proprium est telum, sed est etiam in manibus Hispaniensium. [2]) Neque vero has solas nationes hoc telo usas esse, sed etiam legionarios Romanos, huius rei luculentissimum exemplum est B. C. I, 57 hi sc. legionarii electi ex omnibus legionibus antesignani, centuriones Bruto duce contra Massilienses pugnantes, manus ferreas atque harpagones paraverant magnoque numero pilorum, *tragularum* reliquarumque telorum se instruxerant. Itaque e vocabulo tragula non necessario sequitur, ut Galli fuerint, qui uterentur. Deinde autem, id quod maximi est momenti, Galli nec certam quandam exercitus Romani partem efficiebant, nec soli urbem telis aggressi esse dici possunt, cum totus exercitus Romanus in oppugnatione versaretur. Quapropter mihi non dubium est, quin Galli sit depravatum. Sed unde? Iam saepe viri docti, qui veterum libris in integrum restituendis

---

1) cfr. Caes. d. B. G. 1, 26, 3. 5, 35, 6. 5, 58, 5.
2) Liv. 21, 7, 2. 24, 42, 2.

operam navabant, docuerunt, esse librariorum, ex vocibus vulgatissimis nomina propria fingere [cfr. Madvigi adv. crit. II, 318], neque hac in re librarii B. H. ab aliis discesserunt. Sic habet *f* 3, 3, ubi reliqui codices haec praebent Caesar ... celeriter sex cohortes secunda vigilia iubet proficisci pro simplici sex nomen proprium sexš compendio scriptum, i. e. Sextus, et 42, 4 Vos iure gentium civiumque Romanorum institutis cognitis more barbarorum populi Romani magistratibus sacrosanctis manus semel et saepius attulistis, habent b et d romanis pro sincero manus. Quapropter censeo, pro Galli legendum esse illi spectans ad subiectum verbi viderent, ad Caesarianos; illi autem posuit scriptor, quod alio subiecto verbi proxime antecedentis ab verbo viderent seiunctum est[1]). Sed ne quem sollicitet mirificus usus particulae ita in capite enuntiati membrique subsequentis positae a consuetudine et more elegantium scriptorum prorsus abhorrens, conferat 36, 2 ubi eundem in modum usurpata reperitur, Quod Caesar cum animadverteret, si oppidum capere contenderet, ut homines perditi incenderent et moenia delerent, *ita* consilio habito noctu patitur Lusitanos eruptionem facere. Neminem fugit, illud ita iure posse comparari cum vocabulo nostrae linguae ‚so' initio enuntiati subsequentis adhibito. Nec mirum est, quod scriptor vulgaris sermonis vocabulum hoc in loco enuntiati posuit, cum sexcenties et praeter modum utatur initio totius enuntiati. Adhuc neminem cognovi scriptorem latinum, apud quem, si brevitatem totius opusculi spectas, haec particula toties inveniatur ad coniungenda sermonis membra usurpata, quoties in hoc libro. Confer, quaeso 1, 2. 1, 5. 3, 6. 4, 5. 5, 1. 5, 6. 6, 5. 8, 5. 9, 2. 13, 8. 15, 3. 16, 2. 17, 1. 18, 5. 18, 7. 19, 6. 22, 5. 23, 5. 25, 6. 25, 6. 27, 3. 28, 3. 30, 2. 30, 5. 31, 6. 31, 8. 33, 2. 33, 5. 34, 5. 35, 1. 38, 2. 39, 3. 40, 5. 41, 5. 42, 5.[2]) Extremum est, ut in proximis verbis deleamus ex praepositionem atque circumplexi coniungamus cum ablativo hostium cadaveribus. Desideratur enim vocabulum, quo illud participium accuratius definiatur, oppidum autem accusativus et ex circumplexi et ex oppugnare pendet [cfr. Caes. d. B. G. 7, 83 collem opere circumplecti][3]).

XXXVI, 4 Mundensesque, qui ex proelio in oppidum confugerant, cum diutius circumsiderentur, bene multi deditionem faciunt et cum essent in legionem distributi, coniurant inter se, ut noctu signo dato, qui in oppido fuissent, eruptionem facerent, illi caedem in castris administrarent. Vix credideris, Caesarem, ducem cautum circumspectumque tantam perfugarum multitudinem, qui non nisi calamitatibus coacti ad eum transfugerant, uni legioni attribuisse; itaque fac scribas et cum essent in *legiones* distributi. Cfr. B. C. III, 4 Praeterea [Pompeius] magnum numerum ex Thessalia, Boeotia, Achaia, Epiroque supplementi nomine in *legiones* distribuerat.

XXXVII, 2 Didius, qui classi praefuisset, simuladque Gadis nuntius allatus est, confestim sequi coepit; partim pedibus [peditatus unus deterior.

1) Postquam ex ita illi factum est ita alli, facilis erat permutatio in ita Galli.

2) Quacum confer particulam interim in B. A. similem in modum usurpatam, vide Nipp. Pr. 24 et Froehlichium l. s. 40.

3) Cfr. Flor. III, 2 Hoc a proelio profugi cum se Mundam recepissent et Caesar obsideri statim victos imperasset, congestis cadaveribus agger effectus est, quae pilis iaculisque confixa inter se tenebantur — De praepositionibus a librariis in B. H. adiectis confer, quae dixi ad 7, 5 — sunt similem in modum librarium ad participium ex substantivo corruptum sententiae explendae caussa falso addidisse docui ad 14, 4.

codd.] et equitatus ad persequendum celeriter iter faciebant. Nipperdeius et equitatus uncis seclusit eo, nisi fallor, consilio, ut opposita essent inter se Didii iter navale et pedestre iter copiarum. Verum timeo, ne ultra veritatis fines egressus illa verba eliserit, nam in iis, quae subsecuntur, bis fit mentio equitum et cohortium ad insectandum Pompeium a Didio missarum 38, 1 equites et cohortes, quae ad persequendum missae essent, et ibid. 3 celeriter equitatu cohortibusque circumcluditur. Ideo scribendum est partim *pedites* et equitatus etc. Deinde vero hic prorsus insolenter dicitur equitatus ad persequendum celeriter iter faciebant nullo ad gerundium accedente verbo. Apparet autem e loco paulo inferiore iam supra memorato 38, 1 cohortes, quae ad persequendum missae essent, scriptum fuisse *pedites* et equitatus ad persequendum *missi* celeriter iter faciebant.

XXVIII, 4. Nam idcirco propter suo praesidio fuisset conspectus, celeriter ad munitum locum natura ceperat sibi Pompeius quamvis magna multitudine deducti homines ex superiore loco defendere possent subeunt in adventu nos depellunt qui telis. Audaciore correctione opus esse nemo non videt. Et primum quidem verba idcirco propter suo praesidio fuisset conspectus quippe ex paragrapho tertia eiusdem capitis male repetita cum Nipperdeio Pr. 248 et Madvigio adv. crit. II, 291 delenda sunt; ante homines uterque iure pauci (Nipp. perpauci) intercidisse docuerunt. Pro magna multitudine deducti ipse conieceram magna multitudine adducta, post Pompeius addendam censui particulam ut, ex qua penderet defenderent, quod post extremas antecedentis vocabuli litteras facillime potuit excidere, et gaudeo, quod in easdem coniecturas Madvigius l. s. 291 incidit. Finem autem totius loci depravati si Madvigius ita scribendum docet maiore interpunctione post possent interposita subeunt in adventu nostri depelluntque telis, non possum non emendationem eius reicere, quoniam ex verbis subsequentibus quibus cedentibus cupidius insequebantur adversarii et confestim tardabant ab accessu intelligitur, non nostros, i. e. Caesarianos advenientes subisse et hostes telis propulisse, sed vice versa Caesarianos ab adversariis extemplo ex latebris prorumpentibus esse telis in fugam coniectos. Quapropter ego conieceram Subeunt in adventu nostro depelluntque telis. Obiectum depellendi verbi facile subauditur ex antecedente pronomine nostro. Mendum autem, quod in reliquis verbis residet, facile tollitur pronomine sibi in se mutato et receperat pro ceperat scripto. Syllaba re intercidit post vocem natura, quae eisdem fere litteris ra terminatur. Hac vero syllaba deleta librarius simplici verbo ceperat dativum pronominis opus esse arbitratus, sicuti legerat 26, 6 inde sibi commeatus capiunt et 38, 6 fuga sibi praesidium capiunt accusativum in dativum mutavit. Ad se recipere cfr. 16, 3. 22, 3. 40, 2. 40, 7 et 25, 8. 27, 4. 40, 1. Totum igitur locum sic velim edi: Nam [idcirco propter suo praesidio fuisset conspectus] celeriter ad munitum locum natura *receperat se* Pompeius, *ut* quamvis magna multitudine *adducta pauci* homines ex superiore loco defendere possent. Subeunt in adventu *nostro depelluntque* telis.

XXXIX, 3 Exclusa munitione amissisque auxiliis ad convallem exesumque locum in speluncam Pompeius se occultare coepit. Demonstraverat scriptor in eis, quae antecedunt, Cn. Pompeium, cum ei in fuga esset timendum, ne equites cohortesque ad persequendum missae parvam manum suam in itinere opprimerent, locum excelsum petisse natura munitum, ex quo salutem suam contra hostium impetus defenderet huncque locum operibus munivisse. Quod cum animadvertissent Caesariani, ipsos quam celerrime totum locum operi-

bus circumvallare coepisse, ne effugere posset. Itaque Pompeium priusquam circumvallatio perficeretur, fuga salutem quaesivisse, tardatum autem esse ad fugiendum tali vulnere et neque equum neque vehiculum propter regionis iniquitatem ex re fuisse. Ideo brevi tempore hostes extremum eius agmen consecutos magnam caedem fecisse. Hinc apparet, mendosa esse exclusa munitione. Nipperdeius autem scribendum proposuit *conclusa* munitione assentiente Kranero. Manifesto perverse. Intelligitur enim ex versibus antecedentibus, munitionem nondum esse conclusam, cum Pompeiani latebras suas relinquerent, et ipsum Pompeium non intra, sed extra munitiones in fuga esse captum. Etenim si munitiones a Caesarianis ante fugam Pompeianorum essent perfectae et conclusae, omnino Pompeianis non in mentem venisset effugere; verum scriptum est fuga sibi praesidium capiunt. Deinde autem scriptor dicit, Pompeium ad fugiendum non omnino esse impeditum, sed tardatum, i. e. in fugiendo tali vulnere magnam molestiam suscepit. Ipse igitur fugiens locum munitum reliquit et lectica, sicuti antea narratum est, ferebatur. Et ut hoc quoque commemorem, si Pompeius munitione esset conclusus, vix credibile est, futurum fuisse, ut intra munitiones sese spelunca occuleret; quae res, sane hercle, ei nihil profuisset. Cum praeterea codices habeant exclusa, non conclusa, scribendum censeo exclusus munitione amissisque auxiliis. Nam postquam Pompeius locum munitum reliquit munitiones, quas ipse sibi paraverat, non iam ei praesidio erant, huc accedebat, ut etiam copiae, quas habuerat, caede deletae essent, itaque omni auxilio destitutus erat. Ad extremum ab scriptore B. H. non posse scripta esse conclusa munitione amissisque auxiliis, etiam inde intelligere licet, quod hoc libro ablativi absoluti nunquam coniunguntur particula que, cfr. 1, 1 Pharnace superato .... Africa recepta. 13, 6 relato responso, clamore sublato, omni genere telorum emisso. 36, 4 quo facto, oppido recuperato. 37, 1 Hac re cognita, insequenti nocte vigilia tertia tessara data. 42, 2 patrocinio suscepto, multis legationibus ab se in senatum inductis, simul publicis privatisque caussis multorum inimicitiis susceptis etc. Participium autem coniunctum, quod dicimus, exclusus particula que a scriptore negligentioris sermonis coniunctum esse cum ablativo absoluto, nihil habet offensionis, cfr. Tacitus, ann. 12, 12. Ille interritus et parte copiarum apud Syriam relicta, et Draeger, über Syntax und Stil des Tacitus 96.

Ineunte et medio capite XL. narrat scriptor, Didium in castellum ad mare situm se recepisse, et quamvis naves eius, quibus eo pervenisset, satis tuto vel satis propinquo loco essent collocatae, eum brachium ad illas perduxisse. Quapropter hostes, ubi frustra cotidianis proeliis Didium ex castello cum suis procedentem reprimere tentassent, consilium cepisse positis insidiis simulata acie Didium e castello evocatum superare. Proxima verba [post lacunam a Nipperdeio notatam] codices sic exhibent insidias ponunt et tripartito signa distribuunt. Erant parati, qui naves incenderent incensisque in subsidium repeterent; hi sic dispositi erant, ut a nullo .... [lacuna Nipperd.] conspectu omnium ad pugnam contendunt. Deinde exponitur, Lusitanos, cum Didius ad dimicandum progressus esset, eodem signo et naves incendisse, et qui in acie stetissent, terga vertisse, ut Didium ad persequendum incitarent; quod cum esset factum, Didium ab iis, qui antea in insidiis fuissent, a tergo esse circumventum. Igitur Nipperdeius Pr. 249 Lusitanos omnino tripartito distributos fuisse dicit; unius partis fuisse, naves incendere, alterius, acie instructa progredi et Didio accedente fugere, tertiae, ex insidiis erumpere et Didium a tergo circumvenire. His autem verbis incensisque qui subsidium repeterent eam contineri necesse esse partem, quae Didium a tergo circumveniat. Haec vero verba adeo corrupta esse, ut non viderentur posse restitui, nam Glandorpii

coniectura repellerent nos nihil proficere. Itaque locum cruce apposita corruptum esse significavit, emendationem non tentavit. Kraner adv. crit. LXIII Nipperdeii argumentationem secutus esse videtur, cum ipse repudiata Glandorpi coniectura alia ibi scripta fuisse dicat. Sed ut falsa est Nipperdeii argumentatio, ita uno excepto repeterent codices sinceram lectionem servaverunt. Vide enim, num vero fuerint tres tantum Lusitanorum partes. Explicat autem scriptor, Lusitanos et insidias posuisse et tripartito signa distribuisse. Quibus expositis qui tandem fieri potest, ut non nisi tres fuisse partes scriptorem explicasse arbitreris? Nam quattuor fuisse partes non solum ex ipsis scriptoris verbis elucet, sed etiam ex numero partium, quas deinceps enumerat. Prima pars est eorum, qui insidias ponant, distinguit enim eos scriptor ab iis signis, quae tripartito sunt distributa. Altera est, qui naves incendant, tertia, qui, si qua manus ex castello navibus incensis auxilio veniat, hos depellant, quarta, quae acie instructa progrediatur, Didium ad pugnandum sollicitet, signo dato se in fugam conferat. Ad primam partem respiciunt verba § 3 insidias ponunt et § 5 extremae a tergo insidiae clamore sublato circumveniunt, ad alteram erant parati, qui naves incenderent et naves incenduntur, ad tertiam incensisque qui subsidium repeterent, de quibus posthac non est sermo, quia navibus incensis ex castello non est missum auxilium, ad quartam conspectu omnium ad pugnam contendunt et eodem signo fugientes latrones dum persequuntur. Itaque sublato perverso in, quod post incenisque irrepsit, si pro repeterent scribis propellerent [quod praeferas velim illi Glandorpii coniecturae repellerent, quoniam paulo infra legimus § 5 Ita cum ex castello Didius ad propellendum processisset], omnia rectissime sunt. Extremum est, ut addam, perperam in novis editionibus positum esse comma inter signo et fugientes, quo sententia evertitur. Etenim cum signum a Lusitanis sublatum non solum datum esset iis, qui in insidiis erant, sed etiam, qui in acie stabant, ut scirent, tempus esse fugiendi, arte cohaerent eodem signo et fugientes. Itaque tolle illud comma.

XLI, 1. Fabius Maximus, quem ad Mundam praesidium oppugnandum reliquerat, operibus assiduis lurnisque circum se interclusis inter se decernere facta caede bene magna faciunt. Locum esse corruptum, in propatulo est. Nipperdeius non tentavit; Kraner verbo praesidium, quippe quod illatum esset ex c. 32 qui oppidum Mundam sibi constituissent praesidium uncis secluso Mundam *oppugnandam* scripsit, haud recte, puto. Etenim si accurate librum percensuerimus, quibus modis usurpet scriptor B. H. praesidium verbum, iudicabimus, sinceram esse lectionem codicum. Ac non solum ita utitur, ut sit nostrum Schutz, Hülfe, Rettung 6, 4. 8, 6. 22, 1. 38, 6. 39, 1. Bedeckung, Schutzwache 2, 4. 6, 4. 22, 3. Besetzungsmannschaft 3, 1. 22, 6. 25, 1. 27, 4. 35, 1. 35, 2. 35, 4. 26, 6. 27, 5. 1, 2. 1, 4. 1, 6. 1, 7. omnino Truppen 1, 2. 30, 1, sed etiam ut idem significet, atque nostrum Schutz-, Zufluchtsstätte 32, 1 qui oppidum Mundam sibi constituissent praesidium. 6, 1 ita ad (ego supplevi) firmissimum eius praesidium Ateguam proficiscitur. 32, 5 ad navale praesidium .... Carteiam contendit. Etiam hoc loco ita usurpatum est neque correctione indiget. Quae proxime secuntur, Kochi opera in integrum sunt restituta; scribendum proposuit l. s. 629 operibus diurnis nocturnisque[1]) [cfr. 17, 3 nocturnis diurnisque operibus], ubi cum Kochio facio operibus a Nipperdeio perperam in temporibus mutatum retinente. Sed etiam ea, quae verba emendata excipiunt, misere sunt lacerata. Ut initium faciam a capite totius enuntiati,

1) cfr. Caesar d. b. G. 1, 38, 7.

